KEIL

DE ARVSIANI MESSII EXEMPLIS
ELOCVTIONVM

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXIX

A DIE XXI M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INEST

HENRICI KEILII QVAESTIONVM GRAMMATICARVM P. VI
DE ARVSIANI MESSII EXEMPLIS ELOCVTIONVM

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
RICARDVS VOLKMANN
CVM SENATV
S. D.
CIVIBVS SVIS.

Arusiani Messii habemus librum qui inscribitur exempla elocutionum, in quo variae elocutiones nominum et verborum per ordinem litterarum digestae et exemplis quattuor auctorum, Vergilii Terentii Sallustii Ciceronis, confirmatae sunt . hunc ex Gudiano codice Lindemannus in primo volumine grammaticorum latinorum edidit . scriptum autem esse librum sub finem quarti post Christum natum saeculi testimonio veteris codicis Berolinensis olim Santeniani 66 cognovimus . in eo codice enim p. 218 et 219 leguntur tituli librorum nonnullorum nono saeculo scripti, quos Hauptius opusc. v. III. p. 425 edidit, inter quos in fine indicis Arusiani liber descriptus est ita, *incipit Messi oratoris de elocutionibus | Olybrio et Probino Messius* . Olybrium autem et Probinum, ad quos librum scriptum fuisse hoc testimonio comperimus (nam in eo libro quem nunc habemus eorum mentio facta non est) consules fuisse anno p. Chr. n. 395 constat . unde sequitur aut hoc ipso anno, tum cum illi collegae erant, aut circa hoc tempus ad illos a grammatico librum missum esse . nam quoniam fratres erant Olybrius et Probinus, potuerunt eorum nomina, sicut adnotavit Hauptius, etiam praeter consulatus occasionem uni libello inscribi . ad idem tempus pertinet, quod Arusianus inter exempla quattuor veterum scriptorum duo posuit Symmachi, aequalis sui, exempla p. 217 et p. 244 . neque enim dubitandum est quin haec ab ipso grammatico scripta, non postea exemplis ab illo collectis addita sint . oratoris titulum haud insuetum etiam grammaticis illius aetatis fuisse adnotavit Ruhnkenius praef. in Rutil. Lup. p. XXVI . praeterea in inscriptione codicum, quos postea indicabo, dicitur vir clarissimus comes primi ordinis . dignitatem autem comitum primi sec ndi tertii ordinis, de qua dixit Mommsenius mem. dell' Inst. v. II. p. 302 et Herm. v. IV. p. 127, post Constantini aetatem institutam esse scimus . ex posterioribus scriptoribus unus Cassiodorius huius libri mentionem fecit, instit. div. lect. c. 15 p. 517 ed. Gar., *regulas igitur elocutionum latinarum, id est quadrigam Messii, omnimodis non sequaris, ubi tamen priscorum codicum auctoritate convinceris.*

Nunc vero omnis libri memoria uno vetere codice, qui Bobii olim repertus et deinde post finem quinti decimi saeculi saepe descriptus est, continetur . is in catalogo codicum Bobiensium a. 1461 facto, quem Amedeus Peyron post Ciceronis orationum fragmenta edidit, descriptus est ita p. 29 sq., *Ysidori episcopi Tractatus de astronomia . Eiusdem liber de usu litterarum . Ysidori senioris liber promiorum . Eiusdem liber de vita vel obitu sanctorum qui in domino precesserunt. Eiusdem Tractatus de interpretatione nominum hebraycorum . Tractatus relilongi de orthographia. Prisiani gramatici vel porte . Adamanti sive martirii de B muta et U vocali . De emendatione et*

notis veterum librorum . De distinctionibus . De positione . Augustini Tractatus ad petrum de vera fide . Ysidori episcopi liber secundus de interpretatione nominum hebraycorum . Ciclus pascalis vid. modus adinveniendi festum pasce . Arusiani messi v̄c. or. comitis primi ordinis Exemplaria elocutionum ex Virgilio Salustio Terrentio Cicerone digesta per litteras alphabeti . omnia suprascripta in littera longobarda obscura . parvi vol . hic codex igitur una cum reliquis libris, quos a. 1493 a Georgio Merula Bobii inventos et proximis annis post exemplaribus manu scriptis et impressis propagatos esse scimus, in lucem protractus est . quamquam enim in iis quae a Raphaele Volaterrano in commentariis urbanis et a Georgio Galbiato in praefatione Terentiani Mauri de libris a Merula inventis memoriae prodita sunt Arusiani mentio facta non est, tamen codicem in quo eius liber scriptus erat tum inventum et descriptum esse constat . nam et Velii Longi et Adamantii Martyrii libri, qui in eodem codice scripti erant, illis locis quos modo dixi commemorati sunt, et cum his aliorumque grammaticorum libris Bobii inventis inde ab illo tempore Arusiani liber descriptus est . in Bobiensi codice autem non solum praefatio ad Olybrium et Probinum omissa erat, sed etiam in fine libri quaedam perierant . nam praeter subscriptionem in reliquorum librorum apographis additam, in hoc uno omissam, ex elocutionibus a V littera incipientibus, de quibus haud dubie olim plura scripta erant, pauca relicta sunt.

Apographum codicis Bobiensis Ianus Parrhasius sibi paraverat, quod postea cum aliis Parrhasii libris in bibliothecam regiam Neapolitanam delatum nunc inter codices eius bibliothecae est IVA 11, in quo post Longi et Martyrii libros hic Arusiani liber legitur ita inscriptus, *Cornelii Frontonis | Incipit Arusiani messi ūc or comitis primi ordinis exempla elocutionum | Ex uergilio Salustio Terentio Cicerone digesta per litteras.* Iannellius catal. bibl. Neap. p. 10 *A. Cornelii Frontonis* exhibuit, et videntur unius litterae vestigia ante *Cornelii* relicta esse. scriptura autem veteris archetypi, ex quo codex descriptus erat, in eo ita repraesentata est, ut vitiosae lectiones accurate repeterentur atque ea etiam quae tamquam corrupta tribus punctis supra positis, sicut fieri solet in Bobiensibus codicibus, notata erant, eodem modo exhiberentur . ex hoc codice descriptus est alter Neapolitanus IVA 12, qui ipse quoque olim Parrhasii fuit, in quo Arusiani liber post eosdem libros quos supra dixi et post catholica Probi, quae item Bobii inventa erant, scriptus est . inscriptionem ab eo qui apographum fecerat omissam postea ex priore codice Parrhasius addidit, *Arusiani Messi* etc. idem in margine adnotavit haec, *Arusiani a quibusdam substitutum erat Cornelii Frontonis improbe* . scriptura, quae ex priore codice accurate repetita erat, multis locis partim a Parrhasio partim alia manu adscriptis coniecturis vel mutatis litteris correcta est . utriusque codicis notitiam debeo diligentiae et promptae erga me voluntati Gustavi Iuergensii olim Halensis, nunc Neapolitani, qui priorem codicem cum editione Lindemanni contulit, alterum ex priore descriptum esse, id quod in aliis libris qui in utroque codice scripti sunt cognoveram, de Arusiano quoque certis indiciis confirmavit . ex duobus Parrhasii codicibus autem deinde notitia libri longius propagata est . et quoniam multi eum olim, antequam editus est, variis apographis adhibitis propter exempla veterum scriptorum a grammatico adscripta usurpaverunt, operae pretium esse visum est, quos quisque auctores in ea re secutus sit, hac scribendi occasione oblata investigare et adpositis testimoniis comprobare.

Primum igitur Ioannes Pierius Valerianus in castigationibus in Virgilium Romae a. 1521 primum editis cum alios grammaticos, quos a Parrhasio acceperat, tum Arusianum saepius commemoravit . de codice autem quo usus est scribit haec in Verg. bucol. 1,80, „Sed *hanc noctem* agnoscit Arusianus Messus in eodem Elocutionum libello, qui falso sub alterius nomine circumfertur, cuius legitimam inscriptionem inveni in Iani Parrhasii Bibliotheca“ . deinde Nicolaus Heinsius a. 1647, tum cum per aliquot menses Neapoli versabatur, Parrhasii codices vidit et alterum

eorum descripsit . qua de re in duabus epistulis Neapoli ad I. F. Gronovium datis scripsit haec syll. epist. ed. Burm. v. III p. 181 die 20 Mai a. 1647, „Futurum video ut aestas proxima hic mihi transigatur. Inveni enim Grammaticorum nonnullorum opuscula, hactenus ni fallor inedita, magno mihi usui futura, quae omnino velim describere. Inter quos Volusianus Messus, quem alii Cornelium Frontonem volunt. Is fragmenta Ciceronis ac Sallustii multa citat, quae in eorum operibus frustra quaerantur. In phrasibus minus usitatis annotandis potissimum occupatur, quas ex quatuor auctoribus selegit, Virgilio, Terentio, ac iis, quos iam nominavi. Ubi Macrobii Saturnalia absolvero (quorum veterrimus codex, sed non multum a vulgatis editionibus diversus) ad Volusianum describendum transibo" . ib. p. 184 mense Iunio a. 1647, „Nunc sum in describendo Arusiani Messi de elocutionibus libello, in quo fragmenta Ciceronis et Sallustii multa" . de eodem invento Isaacus Vossius ad N. Heinsium scripsit ib. p. 569 et 579 . erant autem codices tum, cum Heinsius eos videbat, in monasterio S. Ioannis in Carbonaria, in quo libros Parrhasii ex hereditate Antonii Seripandi, cui ille eos legaverat, diu servatos esse constat, priusquam in publicam bibliothecam delati sunt . postea Garatonius exempla Ciceronis ex Neapolitano codice descripta habebat eaque in editione orationum Ciceronis saepe commemoravit . eius verba sunt haec Cic. orat. v. VII Neapoli a. 1786 praef. p. VI, „Is denique (Franciscus Gualterius) his paucis diebus ex Neapolitano Arusiani Messi codice, quem aedes possidet Apostolorum, rogatu meo elocutionum exempla Tulliana descripsit. Quum enim grammaticos a Putschio conlectos, Quinctilianum, aliosque rhetores, Gellium, Nonium, Isidorum, Donatum, Servium, Horatii, Lucani, Statii scholiastas, et quidquid antiquorum potui, diligenter adhibuerim, ad eos locos, quos ab iis productos a me tractari oportebat, neque me, post aliorum operam in ea re, meam perdidisse arbitrarer: moleste ferebam unum mihi Arusianum deesse, quem tamen editum in Stubeliano Fabri thesauro inaudiveram: idque incommodum Gualterius a me non levi suo incommodo depulit."

Plurimi tamen qui post Heinsium vel singulos Arusiani locos citaverunt vel totum librum descripserunt apographo potius Heinsii quam ipsis Neapolitanis codicibus videntur usi esse . nam ut omittam quae ipse Heinsius in notis ad Ovidium, Vergilium, Valerium Flaccum et in adversariis inde deprompsit, ex eius schedis petita sunt quae Ioannes Rhodius in lexico Scriboniano p. 344 de Arusiani libro scripsit, „Abstinet se illa re: Arusianus Messus MS in Exemplis elocutionum, apud Clericos Regulares Neapoli. Cuius loco in quibusdam codicibus perperam Cornelii Frontonis nomen scriptum observavit Nicolaus Heinsius"; item quae de codice quodam Graevii Fabricius in indice bibliothecae latinae v. III p. 914 rettulit, „Arusiani Messii primi ordinis V. C. CR. Comitis elocutionum libellum ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone per litteras digestum allegat Nic. Heinsius ad Valerium Flaccum p. 174. 282. 336. Illum e Codice B. Godfridi Graevii, Consulis Lipsiensis, Andreas Stübelius suis locis inseruit novae editioni thesauri eruditionis Scholasticae Basilii Fabri Lips. 1710. 1717 fol." . ceterum perpauca tum in novam thesauri editionem ex Arusiani libro recepta sunt . post mortem Heinsii eius schedae ad Dorvillium pervenerunt, apud quem Petrus Burmannus Secundus eas denuo descripsit, de quo in commentario de vita N. Heinsii ante illius adversaria edito p. 9 de itinere Italico Heinsii et invento ab eo Arusiani libro disserens scribit haec, „Passim enim Arusiani Elocutionum libellum ad partes vocat in Commentario Virgiliano Pierius Valerianus, Carrio ad Sallustium non semel, qui et fragmenta Sallustii ex eo conlecta inlustravit, et in notis pag. 451 Ed. Grut. inscite ab aliis Cornelio Frontoni tribui hunc foetum observat; idque Heinsii nostri testimonio usus notavit Rhodius ad Scribon. Largum pag. 344. Eius autem exemplar apographum describere aliquando mihi licuit beneficio Phil. D'Orvillii, qui et hunc thesaurum inter alia literaria peregrinationis Italicae spolia, quibus onustus in patriam rediit, adservat" . descripsi haec, ut iudicari possit, utrum de Heinsii exemplo an de novo Arusiani

apographo a Dorvillio facto Burmannus haec narret . in Burmanni autem apographo Ruhnkenius, qui in praefatione ad Rutilium Lupum p. XXVI et saepius in notis ad Velleium Arusiani mentionem fecit, librum legisse videtur . plura ipse Burmannus variis locis ex eo deprompsit . eodem apographo et alio quodam, quod ipsum quoque Burmannus possidebat, usus est Petrus Bondamus, qui, cum editionem Arusiani pararet, a. 1760 Burmanni exemplum cum notis quibusdam et coniecturis ab illo additis descripsit et alterius discrepantiam in margine adnotavit . haec manu Bondami scripta cum paucis chartis novae editionis typis expressae, quam ille inceperat, sed mox omiserat, nunc in Leidensi bibliotheca servantur inter codices Perizonianos 84 . inscriptioni libri ex Neapolitanis codicibus repetitae, *Arusiani Messi* sqq., addita est adnotatio Parrhasii supra relata, *Arusiani a quibusdam substitutum erat Cornelii Frontonis improbe* . ex quo apparet non priorem codicem Neapolitanum, sed illum alterum, in quo scriptura archetypi ab Italis correcta erat, ab Heinsio descriptum vel certe praeter priorem in describendo adhibitum esse . ipse Bondamus apographo suo subscripsit haec, „Petrus Bondam ex Apographo Elegantissimo Petri Burmanni Secundi, qui illud descripserat ex codice V. Cl. J. Ph. Dorville, descripsi et absolvi Zutphaniae d. XVII Iulii MDCCLX" . deinde de utroque apographo, quo usus erat, in scheda codici praefixa monuit haec, „Ex Apographo Burmanni ipsiusmet manu scripto descripsi haec. Idem vero Burmannus et alterum communicavit Apographum ab alio scriptum, quod cum nostro contuli et variationes exinde excerptas et margini adscriptas notavi A2. In isto autem Apographo loca autorum, ubi inveniri possunt, eodem modo, ac in Burmanniano notata erant. Ex isto autem Apographo suum non confecit Burmannus . patet id ex pag. 17. 99. 127. 169, ubi plura habet Burmannianum exemplum" . hoc Bondami codice, qui nunc est Perizonianus, Martinus des Amorie van der Houven in specimine litterario de nonnullis locis veterum scriptorum cum appendice de Arusiani Messii exemplis elocutionum Amstelodami a. 1845 usus est et nonnullas codicis lectiones protulit . sed praeter Bondamum Santenius quoque a Burmanno apographum libri acceperat, quod postea cum reliquis Santenii libris in Berolinensem bibliothecam translatum est ibique nunc inter Diezianos codices habetur 97. 4. in eo quoque, sicut in Perizoniano, notae Burmanni additae sunt, quibus alia manu praescripta sunt haec, „Arusianum ex codice Philippi D'Orvillii descripserat Burmannus Secundus, qui apographo sequentia fere adnotaverat" . ex Santenii copiis olim Martyni-Laguna novam Arusiani editionem paravisse dicitur, de quo Beierus in Cic. fragm. orat. p. Scaur. p. 196 narrat haec, „Dudum ante Maium apographum d'Orvillianum editioni paraverat adiectis Laurentii van Santen obss. Io. Aloys. Martyni-Laguna, multis exemplis (ut ipse mihi litteris significavit) locupletius. Sed post obitum viri in relictis chartis nihil inventum est; superstes tamen opus illud incendio fuerat."

Ad hos codices, quorum duo, Leidensis et Berolinensis, nunc supersunt, accedit tertius, ex quo Arusiani librum a Lindemanno editum esse supra dixi, Gudianus bibliothecae Wolfenbuttelanae 281 a. 1659, ut scribit Ebertus bibl. Guelferb. cod. p. 113, ipsius Gudii manu e codice manu scripto transcriptus . de hoc non quaesivi, utrum ex Neapolitano codice an ex apographo Heinsii a Gudio descriptus sit, quod facilius inspecto codice quam ex lectionibus a Lindemanno exhibitis iudicari poterit . neque ad fidem codicis existimandam multum interesse puto, ex quo fonte coniecturae, quibus in hoc, sicut in reliquis apographis, scriptura archetypi saepe mutata est, ductae sint.

Verum praeter hos libros, de quibus adhuc dixi, in quibus solis nunc Arusiani Messii nomen legitur, sunt alii, qui pro eo nomen Cornelii Frontonis, quod cum illo coniunctum esse in Parrhasii codice dixi, praescriptum habent . huius modi libros novi tres extremis quinti decimi vel primis sexti decimi saeculi annis scriptos, unum Vaticanum 3402, qui olim Fulvii Vrsini fuit, alterum item Vaticanum 5216, tertium Ambrosianum D498 inf., in quibus codicibus hic liber praescripto titulo *Cornelii Frontonis exempla elocutionum* post Velii Longi et Adamantii Martyrii libros, qui in Nea-

politanis quoque codicibus ante illum scripti sunt, legitur . iis autem et duobus praeter hos Vaticanis Angelus Maius usus est, cum librum eodem titulo, quem modo ex manu scriptis codicibus exhibui, inscriptum, antequam Arusiani liber a Lindemanno editus est, ederet bis, primum ex Ambrosiano codice Mediolani a. 1815 una cum epistulis et orationibus Frontonis tum primum editis, deinde adhibitis Vaticanis codicibus in repetita Frontonis editione Romae a. 1823 . de libris manu scriptis autem, quos usurpaverat, in secunda editione haec adnotavit, „Grammaticum opusculum exempla elocutionum tribuitur Cornelio Frontoni in quinque codicibus a me observatis, in ambrosiano videlicet uno et in quatuor vaticanis, quorum tamen unus nonnisi selecta quaedam habet, quae ab exemplari Basilii Zanchii manu scripto desumpta dicuntur". sed in iis quae Maius ex his codicibus praescripto Frontonis nomine edidit multa quae in apographis Arusiani, de quibus supra dictum est, leguntur et postea a Lindemanno e Gudiano codice primum edita sunt omissa erant. nam non solum exempla scriptorum in hoc Frontonis qui dicitur libro neglegenter scripta et omissis vocabulis quibusdam, quae apud Arusianum inveniuntur, interdum decurtata erant, sed ipsae etiam elocutiones cum exemplis ab illo adscriptis saepe deerant . quo factum est ut postea adhibito Arusiani codice liber plurimis locis augeretur atque etiam nova quaedam historiarum Sallustii et orationum Ciceronis fragmenta, quae antea edita nondum erant, adderentur.

Eodem autem genere codicum vel potius excerptorum, quae Frontonis nomine vulgo ferebantur, ii qui primi in fragmentis Sallustii et Ciceronis colligendis operam collocaverunt usi sunt et exempla in illis citata in suas fragmentorum editiones receperunt . ad hunc fontem enim revocanda est memoria Frontonis ab Aldo Manutio, Fulvio Vrsino, Iano Dousa in notis ad Sallustium, a Carolo Sigonio et Andrea Patricio in fragmentis Ciceronis saepe appellati . ex his quoque adscribam quae illi de libris manu scriptis a se adhibitis memoriae prodiderunt maximam partem a Maio indicata . Sigonius in Cic. fragm. Venetiis 1560 f. 56, Cic. de rep. I 12, 18 *nuntiatum est venire Laelium domoque iam exisse,* „Hoc autem fragmentum, ut multa post alia, ex Cornelii Frontonis grammatici ueteris libro quodam, qui Elocutionum exempla inscriptus est, mutuatus sum . quem librum ex intimis Rainutii Farnesii, Cardinalis illustrissimi, thesauris, domino ipso concedente sumptum ad me Roma iuuenis ornatissimus atque doctissimus Fuluius Vrsinus, amicus meus, misit . hic autem, cum praeclara multa, eaque incognita Ciceronis ad antiqui latini sermonis formulas demonstrandas exempla contineat, adeo mihi ad haec concinnanda fragmenta fuit commodus, ut, quidquid iis ornamenti hac noua editione accesserit, id omne humanissimi principis liberalitati, et ad bonarum litterarum studia fouenda, et ueterem earum laudem renouandam nati, acceptum referendum sit": cf. Arus. p. 227. Patricius in Cic. fragm. Venetiis 1565 apud Graevium Cic. orat. v. III 2 p. 942 *quod non detrectare militiam, sed defendere provinciam iudicata est,* „Fragmentum recens allatum a me ex Frontonis quodam libro, qui continet exempla elocutionum. Quem quidem librum, cum Io. Zamoscius noster, adolescens litteratissimus, ex Italia in Poloniam ad me misisset, quoniam antea quoque ex eo Sigonius quadraginta fere alia fragmenta elicuerat, inque suam posteriorem editionem transtulerat; dedi et ipse operam, ut inde etiam et huic nostrae commendationi accessio nonnulla quaesita esse videretur": cf. Arus. p. 226. Manutius in Sallust. Venetiis a . 1563, fragm. hist. I 32 ed. Dietsch *Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros,* „Ex Cornelii Frontonis de Exemplis elocutionum libello, nondum edito, quem legi commodatum a Scipione Pettio, uiro optimo, et singulari quadam in pervestigandis Veterum libris diligentia praedito": cf. Arus. p. 210. Vrsinus not. in Sallust. Antverpiae 1595 p. 345, Sall. bell. Iug. 97, 5 *pars equos escendere*, „ita v. c. et ita Cornelius Fronto": cf. Arus. p. 229. ib. p. 359 fragm. hist. II 61 *circumuenti dextra, unde ferrum erat, saxa aut quid tale capiti affligebant,* „Puto legendum *caput* ex Frontone, qui fragmentum adducit": cf. Arus. p. 215. maximam horum partem ex codice Vrsiniano, qui nunc Vaticanus est, ductam esse apparet.

Denique ex hoc genere codicum fuit is quo Ludovicus Carrio in editione Sallustii Antverpiensi a. 1579 usus est, quamquam is non Frontonem, sed Arusianum Messum, quem dicit, auctorem libri appellavit. hoc nomine enim saepius eum commemoravit eique primus ea quae antea Frontone auctore recepta erant vindicavit, in Sall. fragm. hist. I 9 p. 6 ed. Haverc. *armata montem sacrum atque Aventinum insedit,* „Arusianus Mess. libello de elocutionum exemplis, quem quidam inepte pariter et inscienter Cor. Frontoni tribuunt, haec Sallustiana citat“: cf. Arus. p. 236. ipsum codicem Elnonensem fuisse dicit in fragm. hist. I 85 p. 35 ed. Hav. *maturaverunt exercitum Dyrrhachium cogere,* „Arusianus eodem quo superiora libro: *Cogo te domum. Dyrrhachium* autem posui pro *brachium,* quod ita in libro Elnonensi esset“: cf. Arus. p. 218. sed ea quae ex hoc codice a Carrione prolata sunt cum Maii codicibus ita consentiunt, ut in hoc quoque similiter excerptum fuisse librum appareat. nam neque ullum ex fragmentis Sallustii quae postea in integris libris inventa sunt addidit neque ea quae omissis vocabulis in excerptis decurtata erant supplevit, sed omnia eodem modo quo antea ex Frontonis libro edita erant repetivit. memorabilia huius modi exempla sunt haec, in quibus ea quae et in duabus editionibus Maii et in antiquissimis fragmentorum Sallustii collectionibus omissa neque a Carrione, quamvis is Arusiani nomen adscripserit, addita sunt uncis inclusi, p. 215 *altum pedes tot, Sal. hist. IIII clausi lateribus (altis) pedem:* p. 236 *insido illos — Sal. hist. I armata montem sacrum et Aventinum insedit, (idem in eodem paucos saltum insidentes):* p. 257 *insisto illo loco, Sal. hist. III locum nullum nisi quo armati institissent (ipsis tutum fore):* p. 243 *Kaptus hac re — Sal. hist. III (collegamque eius) Octavium mitem et captum pedibus:* p. 253 *patet tot pedibus, Sal. hist. IIII ad Siciliam vergens faucibus (ipsis) non amplius patet milibus V et XXX.* coniectura inventam lectionem e codice suo protulit in fragm. hist. I 24 apud Arusianum p. 233, *gnarus illius, Sal. hist. I et numeri eorum Metellus per litteras gnarus,* ubi pro *et numeri,* quod in libris manu scriptis legitur, *itineris* scripsit hac addita adnotatione p. 40 ed. Hav., „ita in meo Arusiano est, quod ab aliis legi video: *et numeris eorum.* male. Messus in locutione: *gnarus illius*“. ceterum post Carrionem non invenio a quoquam Elnonensem Arusiani codicem usurpatum esse, neque inter codices Elnonenses qui nunc supersunt eius memoria extat.

Quo tempore autem Arusiani liber in hanc breviorem formam, quam ii codices de quibus modo dixi praebent redactus sit, vel qui factum sit ut in iis Frontonis nomen substitueretur, certo testimonio non constat. neque tamen videtur dubitari posse quin ad idem archetypum, ex quo integra Arusiani apographa ducta sunt, hi quoque codices revocandi sint. nam et lectiones eorum, quas Maius exhibuit, cum illis ita consentiunt, ut vix quicquam novi, quod quidem coniecturae tribui nequeat, ex iis accedat, et iidem veterum grammaticorum libri, qui cum Arusiani libro in vetere Bobiensi codice inventi et ex eo descripti sunt, in his quoque leguntur. itaque nisi forte duos Bobii inventos esse putabimus codices, alterum integrum, alterum mutato auctoris nomine ex hoc ipso excerptum, sequitur ut neglegentiae Italorum omnis ista mutatio tribuenda sit. Frontonis vero nomine olim inscriptus ferebatur libellus de differentiis a Parrhasio in editione Probi Vicetina a. 1509 primum editus, in quo nomen auctoris, quamvis non minus falsum sit quam in hoc, tamen auctoritate nitebatur codicis Bobiensis, quandoquidem ad illum haud dubie referendus est titulus in commentariis urbanis Raphaelis Volaterrani et in editione principe Terentiani Mauri inter codices Bobiensis relatus, *Corneli Frontonis elegantiae latinae,* quo Maius, qui multum operae frustra consumpsit, ut Arusiani librum Frontoni vindicaret, hunc ipsum indicari putabat. ex illo igitur Frontonis qui ferebatur libello de differentiis idem nomen ad hunc transferri potuit. atque adeo ex Parrhasii apographo, in quo nomen Frontonis adscriptum est excerpta fieri poterant, praesertim cum Longi et Martyrii libri, qui cum illis in manu scriptis libris coniuncti leguntur, ex hoc ipso, non ex vetere archetypo descripti sint.

Longa disputatione opus fuit, ut explicaretur, quae fides iis quae inde ex longo tempore a viris doctis ex Arusiani libro prolata sunt habenda esset. nam cum omnis eius libri utilitas in magno numero exemplorum posita sit, ex quibus alia, quae ex historiis Sallustii et ex libris quibusdam Ciceronis petita erant, hoc solo auctore servata, alia propter lectionis diversitatem memoria digna sunt, in primis cavendum est ne pro genuinis veteris grammatici lectionibus errores vel coniecturae eorum qui vetera exemplaria describebant accipiantur. in quo et olim multi erraverunt et, postquam editione Lindemanni aditus ad meliorem codicem paratus est, ii qui hunc tamquam incorruptum testem sequuntur denuo errant. ex iis autem quae supra de codicibus manu scriptis, qui nunc supersunt vel olim a viris doctis usurpati sunt, disputavi hoc apparere volui, omnes ex uno Bobiensi archetypo ductos esse, uno fortasse excepto Elnonensi codice, quem Carrio adhibuit. de hoc enim propter diversam a reliquis apographis originem video dubitari posse, num ex eodem archetypo descriptus sit, quamquam nihil ex eo prolatum esse invenio, quo aliqua auctoritas huic prae reliquis vindicetur. Bobiensis autem codicis scripturam unus Neapolitanus, quem priorem dixi, incorrupta fide repraesentat; in reliquis vetus scriptura cum coniecturis Italorum et Batavorum, qui in ea emendanda operam collocaverant, ita mixta est, ut fidem non habeant. nunc, ne modum prooemii haec commentatio excedat, de paucis Sallustii et Ciceronis exemplis, quae in editis adhuc exemplaribus corrupta feruntur, dicam breviter. itaque Neapolitani codicis scripturam ponam; ex reliquis apographis et ex editis exemplaribus ea quibus opus esse videbitur adscribam. ad Sallustium igitur pertinent haec.

p. 215 *Adflictus illam rem Sal. hist. III adflicti alveos undarum mulcato corpore interibant, idem hist. II circumventis dextera nuda ferrum erat saxa aut quid tale capit adfligebant.* prior Sallustii locus collato Nonio p. 406,10 ab editoribus emendatus est, *adflicti alveos undarum vi mulcato corpore interibant.* nam ita scripserat Arusianus; plura quamvis corruptis librorum manu scriptorum lectionibus praebet Nonius. neque qui sint *alvei* cuiquam dubium esse puto praeter Dietschium, qui *alvos* scripsit et partem corporis significari adnotavit fragm. hist. III 24. alterum exemplum, quod apud solum Arusianum legitur, variis coniecturis in apographis correctum est: pro *capit* in Gudiano codice scriptum est *capita*, Perizonianus in margine habet *caput vel capita;* Maius ex Ambrosiano edidit *circumventi dextra, unde ferrum erat, saxa aut quid tale, caput adfligebant.* unde profecti editores fragmentorum nihil quod placere posset effecerunt. quamquam autem diverso modo emendari posse corrupta verba scio, tamen non invenio probabiliorem emendationem quam hanc, *circumventus dextera nuda ferramenta, saxa aut quid tale capita adfligebat.* nam de uno homine ab hostibus circumvento dici indicat singularis numerus *dextera nuda.* similiter singularis numerus restituendus est in alio Sallustii exemplo p. 256, *praeminet illa re illam rem, Sal. hist. II omnes qui circum sunt praeminent altitudine milium passuum duorum,* ubi *praeminet* scribendum esse vidit Lipsius apud Dousam.

p. 219 *Circumdat hoc illi rei Virg. Aen. II circumdat loricam humeris. circumdata hac re illam rem Sal. hist. I occupatusque collis editissimus et eum multa opera circumdata. circumdat haec res illam rem Virg. Aen. I argentum Pariusve lapis circumdatur auro.* Lindemannus pro *circumdata* utroque loco ex Gudiano codice edidit *circumdat.* collato autem Prisciano I. XV p. 66, *Sallustius in primo historiarum „ad Olympum atque Phaselida", in eodem „ad Corycum", in eodem „apud Corycum" et „apud Lete oppidum" et „repulsus a Lete oppido" et „apud Ilerdam eum multa opera circumdata"*, facile fuit corrupta grammatici verba emendare, *circumdat hoc illi rei, Verg. Aen. XII circumdat loricam humeris: circumdata haec res illam rem, Sal. hist. I occupatusque collis editissimus apud Ilerdam, eum multa opera circumdata: circumdatur haec res illa re Verg. Aen.*

I argentum etc. accusativus cum participio *circumdatus* coniunctus defenditur exemplo Ciceronis de div. II 28,62 *quod anguis rectem circumiectus fuisset.*

p. 237 *Instruitur huic rei Sal. hist. II antequam regressus Sertorius instruere pugnae suosque retor.* cum in excerptis, quibus veteres Sallustii editores usi sunt, haec sola inventa essent, *antequam regressus Sertorius instruere pugnae suos,* olim correctum est *instrueret pugnae suos.* scribendum erat potius *instruere pugnae suos quiret.* coniecturae autem debetur, quod ex Gudiano codice Lindemannus edidit, *egressus.*

p. 247 *Medio illius pro illo medio Sal. hist. I diei medio.* vitio Gudiani codicis, in quo diserte notatum esse numerum libri II indicavit Lindemannus, in secundo historiarum libro haec posita sunt, quae olim in fragmentis primi libri recte edita erant. addam aliud Sallustii exemplum, quod cum non indicato libro e Gudiano codice editum esset, item Neapolitani codicis auctoritate ad primum librum revocatur, p. 257 *queror (quero* cod.*) illam rem Verg. Aen. I nec plura querentem passa Venus, Salust. hist. I nam Syllae dominationem queri non audebat.* ad eundem librum igitur referenda sunt quae ex eodem Sallustii loco Donatus in Ter. Phorm. II 3, 24 citavit. sed eius verba, quae in editis exemplaribus corrupta feruntur, in hunc fere modum videntur emendanda esse, *„quam is aspernatur", ordo est „ob hanc quam hic aspernatur",* ἀπόδοσις. *„quam" enim supra revocavit ad puellam referens, ut* (Verg. Aen. IV 355) *„quem regno Hesperio fraudo" et Sallustius „nam Syllae dominationem queri non audebat", et interpositis quibusdam sequitur „qua offensus", hoc est dominatione Syllae.* ἀπόδοσιν autem, si verum est, non usitato apud grammaticos figurae nomine usus Donatus dixit pro eo quod apud Servium in Verg. l. c. σολοικοφανές dicitur.

p. 250 *Obtrectans illi Sal. hist. IIII Crassus obtrectans potius collegae quam boni aut mali publici grauus exactor.* in Gudiano codice, ex quo elocutionem antea omissam Lindemannus edidit, et in Perizoniano scriptum est *gravis exactor,* pro quo Kritzius Sall. hist. fragm. p. 353 *gravis auctor,* Dietschius p. 104 *gravis existimator* scribendum coniecerunt. ex Neapolitano codice potius corrigendum est *gnavus exactor.* nam exactorem Sallustius dixit eo usu, quo vulgo dicebantur exactores operum, cuius usus exempla collegit Lipsius in Tac. ann. III 14.

p. 256 *Prelueeo mihi lumine Sal. hist. IIII qui pretores facibus sibi preluecentes ambustas in tectis sine cura reliquerant.* Sallustii verba quo pertinerent, comparata Plutarchi narratione de expugnatione urbis Amisi, Lucull. c. 19 πάντα γὰρ ἐξερευνῶντες ὑπὸ λαμπάδων καὶ πανταχοῦ φῶς ἐπιφέροντες αὐτοὶ τὰ πλεῖστα τῶν οἰκημάτων καθεῖλον, Linkerus emend. Sallust. p. 33 (Sitzungsberichte d. Wien. Akad. B. 13 1854) demonstravit et probata lectione codicis Perizoniani, in quo *quia* pro *qui* scriptum esse Houvenus p. 28 adnotaverat, scripsit *quia praedatores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerant*. eandem lectionem sua coniectura inventam proposuit Gustavus Wagner Zeitschr. f. Gymnasialw. Berol. a. 1855 p. 198. verum tamen neque *quia,* quamvis in manu scripto libro legatur, auctoritatem habet, neque faces in hac verborum compositione dici poterant ambustae, sed corrigendum potius *quae praedatores facibus sibi praelucentes ambustis tectis sine cura reliquerant.*

p. 260 *Successit illam rem Sal. hist. I cum murum hostium successisset, idem hist. III muros successerant, idem hist. II turmam equitum castra regis succedere et properationem explorare iubet.* in fragmento tertii libri Lindemannus e Gudiano codice *successerunt* edidit, quod deinde editores fragmentorum receperunt; *successerant* in Perizoniano quoque et in Maii codicibus legitur. in fragmento libri secundi, quod Lindemannus primus edidit, non videtur dubitandum esse quin *prope munitionem explorare* scripserit Sallustius. Bondami coniecturam *prope stationem* adscripsit Hou-

venus p. 47; *prope nationem* coniecerat Maehlyus Iahrb. f. Philol. v. LXXVII a. 1858 p. 79, *proelii rationem* Dietschius p. 50.

p. 265 *Vacuus hac re Sal. hist. I uacuā istam urbibus militari aetate, Cic. Philip. I uacui metu esse debemus . uacuus ab hac re, idem ab odio amicitia ira misericordia vacuum esse decet.* Lindemannus, qui primus haec edidit, cum in Gudiano codice *vacuam istam* iuvenisset, *vacuam istam urbem hominibus militari aetate* legendum esse coniecit, ubi Houvenus p. 47 *viris* pro *hominibus* scripsit . correcta in archetypo, ut videtur, scriptura ita defendi poterit, ut scribatur *vacuum istum laboribus militaris aetatis* . grammaticus autem Sallustii verba post Ciceronis exemplum scripserat . nam Sallustii sunt ex Catil. c. 51 petita, quae deinde sequuntur, *ab odio* etc.

Ex Ciceronis exemplis pauca adscribam . p. 221 *Conclusit cum illo Cic. Siciliens. tecum tuum conclusisset* . verba Ciceronis, quae, quoniam in Arusiani libris corrupta erant, a Maio indicata non sunt, de Volcatio, equite Romano, leguntur haec in Verr. II 24,58, *qui, si eo animo esset, quo non modo eques Romanus, sed quivis liber debet esse, adspicere te postea non potuisset: inimicus, hostis esset tanta contumelia accepta, nisi tecum collusisset et tuae potius existimationi servisset quam suae* . ubi *tecum collusisset* in editis post Aldum exemplaribus vulgatum et unius codicis Lagomarsiniani auctoritate ab Halmio confirmatum est: *tamen collusisset* in optimo Lagomarsiniano, *tam collusisset* in reliquis legitur; *tecum tum collusisset* ex libris ante Aldum impressis scripserat Zumptius, quod, quamvis ille de codicibus erraverit, iam auctoritate comprobatur Arusiani, cuius verba ita restituenda sunt, *conlusit tecum Cicero Siciliensi, tecum tum conlusisset* . simile supplementum praebet aliud Ciceronis exemplum, quod, quia is quoque locus a Maio indicatus non erat, ab editoribus Ciceronis neglectum esse video, p. 220 *conscius huic rei Cic. de signis temeritati meae et mendacio meo conscius* . nam in libris Ciceronis in Verr. IV 56. 124 *meae* omissum est.

p. 232 *Gratum tibi est Cic. Hortensio Lucullo quem noster aduentus et gratus et iucundus fuisse* . coniecturis Italorum tribuendum est, quod Maius ex suis codicibus *quidem* pro *quem* et ex uno Vaticano *fuisset* pro *fuisse* edidit . e quibus *fuisset* haud dubie verum est, sed pro *quem* scribendum est *que* . ad eundem autem Hortensii locum pertinent ea quae a scholiasta Gronoviano in Cic. in Verr. act. sec. I 20, 54 p. 404 ed. Or. citata et a Madvigio disp. de Ascon. append. p. 30 collato Arusiano ita emendata sunt, *id manifestum fieri ex Hortensio dialogo, „quum in villam Luculli ventum esset, omni apparatu venustatis ornatam“* . his verbis igitur haec quae apud Arusianum leguntur iam ita continuanda sunt, *cum in villam Luculli ventum esset omni apparatu venustatis ornatam, Lucullo que noster adventus et gratus et iucundus fuisset* . simile exemplum Ciceronis de rep. I 12, 18 indicavit Maius, *dein cum essent perpauca inter se uno aut altero spatio conlocuti, Scipionique eorum adventus periucundus et pergratus fuisset.*

p. 251 *Offendi apud vos Cic. pro Cornel. quid me apud equites R. offendisse dicebant* . in excerptis Frontonis haec omissa necdum inter fragmenta orationum Cornelianarum ab editoribus recepta sunt, quamquam a Garatonio in Cic. or. p. Mil. c. 36 p. 321 ed. Or. edita erant . pro *quid* legendum esse *qui* monuit Garatonius, nisi potius *aliquid* scribendum est, cuius exemplum apud Arusianum sequitur, *offendisti in me Cic. pro Milone* (c. 36), *quae si (sic* cod.*) vos oblivio cepit aut si in me aliquid offendistis, cur id meo capite (capitur* cod.) *luitur potius quam Milonis?*

p. 259 *Reapse (repsa* corr. *repse* cod.*) pro ipsa re Cic. de rep. reapse non ratione preceptio.* in codice Ciceronis de rep. I 2, 2 legitur *reapse non oratione perfectio,* ubi unus Osannus memorabilem scripturae discrepantiam ex Arusiani libro adnotavit, sed vitiosam esse pronuntiavit . mihi certum esse videtur verum esse quod Arusianus legit, *praeceptio* . nam virtutem summorum in re publica virorum plus valere quam praecepta philosophorum his verbis scribit Cicero, *nec vero habere virtutem satis est quasi artem aliquam, nisi utare; etsi ars quidem, cum ea non utare, scientia*

tamen ipsa teneri potest, virtus in usu sui tota posita est, usus autem eius est maximus civitatis gubernatio et earum ipsarum rerum quae isti in angulis personant reapse, non oratione praeceptio. praeceptionem autem earum rerum quae ad communem salutem utiles sunt iis tribui, non perfectionem, disci poterat ex iis quae antea de Catone scripta sunt, *quo omnes qui iisdem rebus studemus quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur,* et postea de bono cive, *ergo ille civis, qui id cogit omnes imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam iis qui illa disputant ipsis est praeferendus doctoribus* . ex quo simul illud apparet, in verbis supra positis retinendum esse *oratione,* pro quo in Arusiani codice scriptum est *ratione* . rem et orationem similiter composuit Cicero de nat. deor. I 44, 123 *idque videns Epicurus re tollit, oratione relinquit deos.*

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, Dr.

I. Publice *systemata Gnosticorum* exponet d. Sat. h. XII-I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiae partem priorem usque ad Gregorium Magnum* enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII. *2) theologiam symbolicam* docebit quinis p. hebd. diebus h. XII-I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderabitur.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.

I. Publice *de David Straussio theologo et philosopho* lectiones habebit etiam iis, qui non ad theologica studia incumbunt, accommodatas semel p. hebd. d. Lun. h. V-VI.

II. Privatim *Psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderari perget. Praeterea iterum eiusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen semiticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas h. def. proponet.

IULIUS KOESTLIN, Dr.

I. Publice *primam Ioannis epistolam* interpretabitur d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim *1) evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI. *2) dogmatices partem priorem*, quae christianam apologeticen et religionis philosophiam continet, quinquies p. hebd. h. VIII-IX tradet.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *epistolam Iacobi* interpretabitur d. Merc. h. XII-I.

II. Privatim 1) *utramque Pauli ad Corinthios epistolam* interpretabitur quinis p. hebd. scholis h. X-XI. *2) vitam Domini nostri Iesu Christi* exponet quater p. hebd. h. XII-I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas N. Testamenti et homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, Dr. Decanus.

I. Publice ex instituto Lenziano *1) geographiam Palaestinae* docebit d. Merc. h. III-IV. 2) *vaticinia Amosi* explicabit d. Lun. et. Mart. h. IV-V.

II. Privatim *archaeologiam hebraicam* tradet quater p. hebd. h. III-IV.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget d. Iov. h. VI-VIII.

HERMANNUS HERING.

I. Publice *epistolam Petri priorem* explicabit d. Merc. h. IX-X.

II. Privatim *theologiae practicae partem priorem* tradet quinis scholis h. VII-VIII mat.

III. In seminario regio theologico *exercitationes catecheticas* moderabitur.

b. Professorum extraordinariorum.

LEBR. FRANKE, Dr.
Scholas non habebit.

GUSTAVUS KRAMER, Dr.
I. Privatim *didacticen* docebit d. Mart. et Ven. h. V-VI.
II. In seminario regio theologico *exercitationes paedagogicas* moderari perget d. Iov. h. V-VII.

MARTINUS KAEHLER, Dr.
I. Publice *historiam ethices* universam adumbrabit d. Iov. et Ven. h. IX-X.
II. Privatim *1) theologiam ethicam* docebit sexies p. hebd. h. VIII-IX. *2) methodologiam et encyclopaediam studii theologici* tradet d. Lun. Mart. et Merc. h. XII-I.

PAULUS TSCHACKERT, Lic. theol. et Dr. phil.
I. Publice *historiam ecclesiasticam saeculi XIX.* tradet d. Merc. et Sat. h. XII-I.
II. Privatim *1) historiam dogmatum christianorum* sexies p. hebd. docebit h. XI-XII. *2) historiam ecclesiasticam recentioris temporis* (inde a reformatione ecclesiae usque ad initium saeculi XIX) quater p. hebd. narrabit h. XII-I.
III. Privatissime *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* h. def. moderabitur.

c. Licentiatorum privatim docentium.

GUILELMUS HERRMANN, Lic. theol.
Privatim *theologiae evangelicae historiam* tradet quater p. hebd. h. IX-X.

RUDOLPHUS SMEND, Lic. theol. et Dr. phil.
Privatim *librum Iesaianum* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

CAROLUS WITTE, Dr.
I. Publice *historiam corporis iuris civilis* tradet d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim *historiam iuris Romani* quotidie praeter d. Sat. exponet h. XII-I.

HERMANNUS FITTING, Dr., Decanus.
I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X-XI.
II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX-X. *2) processum civilem imperii Germanici* tradet quotidie h. VIII-IX.

ERNESTUS MEIER, Dr.
I. Publice *de constitutione imperii Germanici* d. Sat. h. IX-X disseret.
II. Privatim tractabit *1) ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX-X. *2) ius gentium* d. Merc. et Sat. h. X-XI.

ALFREDUS PERNICE, Dr.
I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris Romani* moderari perget d. Lun. h. IV-VI.
II. Privatim *pandectas* praetermisso iure hereditario docebit quotidie h. VIII-X.

ADOLPHUS DOCHOW, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Ven. h. IV-V.

II. Privatim docebit *processum criminalem* d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X-XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

I. Publice *ius cambiale* docebit d. Merc. h. XI-XII.

II. Privatim *1) ius commerciorum Germanicum* quinquies p. hebd. h. XI-XII docebit. *2) imperii et iuris Germanici historiam* enarrabit quotidie h. XII-I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis practicas* moderabitur d. Iov. h. IV-VI.

II. Privatim *ius Germanicum privatum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VII-VIII.

b. Doctorum privatim docentium.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Gratis *ius familiarum Borussicum* exponet d. Merc. h. X-XI.

